

D. D.

*Animadversiones*

*circa*

**ULTIMUM PRINCIPIUM  
OFFICIORUM HOMINIS.**

---

Quas,

*Venia Amplisf. Fac. Philos. Ab.*

*Publicæ censuræ submitunt*

**NICOLAUS MAGNUS TOLPO,**

*Metaphys. Docens,*

&

**CAROLUS GUSTAVUS LUNDENIUS,**

*Stip. Reg.*

*Borea - Fennones,*

*In Audit. Maj. die IV. Jun. An. MDCCC.*

*boris a. m. solitis.*

---

ABOÆ, Typis Frénckellianis.

*Omne bonum letabile est: quod autem letabile, id prædicandum. Et præ se ferendum: quod tale autem, id etiam gloriosum: si vero gloriosum, certe laudabile: quod autem laudabile, profecto etiam honestum: quod bonum igitur, id honestum.*

CICERO.

4

DOMINO MAGISTRO  
MARTINO TOLPO,

PASTORI ECCLESiarUM

QUÆ DEO IN

BIRCKALA, HARJU ET YLÖJÄRVI

COLLIGUNTUR,

NEC NON

ADJACENTIS DISTRICTUS PRÆPOSITO,

PARENTI OPTIMO,

*Ut leve, quaecumque, animi grati pietatis docu-  
mentum, hoc consecrat opusculum*

*filius obsequentissimus*

NICOLAUS MAGNUS TOLPO.

DOMINO  
ANDREÆ LUNDENIO,

SACELLANO IN KORPO ET HOUTSKÆR VIGILANTISSIMO,

PARENTI INDULGENTISSIMO,

*Grati piique præstandi animi officium, adeo sanctum est, adeoque simul jucundum, ut occasionem mihi oblatam illud in Te, Parens Indulgentissime, publice declarandi, lætissimus arripiam; qui tot a Te tantisque Paternæ curæ, affectus. Et liberalitatis expertus sum documenta, ut eorum recordatio dulcissima piissima menti excidere meæ nunquam possit, nec studium unquam refrigerare venerationem atque obsequium Tibi exhibendi religiosissimum. Faxit Deus O. M. ut ætatis Tuæ anni bene multi fiant, omnigenaque prosperitate florentes, ut sic nos, qui Tui sumus, omnes lætandi materiam inde habeamus amplam, suavem, justissimam! Ita vovet vovebitque filius summa pietate ad cineres usque permansurus, Tibi,*

PARENS OPTIME,

*obsequentissimus*

CAROLUS GUST. LUNDENIUS.



§. I.

**A**liquot jam præterfluxerunt anni post agitatum inter duos nostrates Philosophos, ingenio & eruditione laudatissimos, controversiam de principio officiorum humanorum ultimo. *a)* De qua re ne adhuc quidem inter Eruditos convenit: Aliud scilicet hoc principium Philosophi sic dicti Critici, aliud quos Eudæmonistas vocant, statuunt. Utraque pars alterius principium, partim inconstantiae, partim erroris tanti arguit, ut maximum actionum humanarum pretium, ipsam nempe honestatem, tollat, sic ut ne liberalitas quidem & animi probitas virtutis & honestatis nomen mereantur. Cumque maximi sane sit momenti, ut principium morum non sit inconstans, neque ex ejusmodi proponatur parte, ut locus callidis præbeatur excusationibus, quibus mortales a pra-

A

vis

---

*a)* Cfr. Recensionem versionis Svecicæ Boëthianæ Libri a *Kantio* editi: *Grundlegung zur Metaphysik der Sitten*, in Nis 2 & 3 Operis periodici *Läsning i blandade ämnen* inscripti, & *Journal för Sv. Litteratur*, Vol. I. p. 273, seqq.

vis cupiditatibus seducti, se tamen veram honestatis viam non deseruisse, haud raro sibi persuadere solent; necdum, (ipsis scilicet doctoribus adhuc de ipsa morum indole eorumque principio adeo disceptantibus) multum in ingenii morumque cultura progressa fuisse videatur ratio humana: rem hanc consideraturi materiam maximi momenti & ad exercitandas vires mentis idoneam elegerunt nobis videmur: in qua quamquam non accuratissime versari nobis contigerit; operæ tamen esse pretium putavimus vel aliquid tentasse; nec hunc laborem nostrum omnino frustra impensum fuisse existimabimus, si occasionem diligentioribus commilitonum cogitatis persequendis & proponendis dederimus: utpote verioribus disputationibus cognitae a nostris non inviti discescunt, quas interea Lectoris benevolo subijcimus iudicio.

§. II.

Quoniam ad comparandum morum principium Eudæmonistarum cum illo Philosophorum Criticorum, imprimis nunc nos conferre in animo est; necesse ducimus sensum utriusque principii distincte explicare. Ad doctrinam igitur Eudæmonistarum de hac re quod attinet, neminem fugit, eos urgere, *felicita-*

*citatem humanam* esse, ut finem omnium actionum nostrarum liberarum quærendam, & hinc legis Moralis ipsam obligandi vim pendere, inque ea persequenda felicitate ipsum principium consistere; unde *princeps præceptum* morum, ex quo omnia alia fluant, sit: *Quære felicitatem humanam*: quod & exprimi solet formula: *cura ut sis felix*. Nec fortasse ab illis dissentiunt, qui *perfectiõni* generis humani esse studendum contendunt (quo enim perfectius, eo & felicius genus evadit humanum); quod quidem præceptum ita quoque solent exprimere: *Perfice te*. In qua tamen formula proponenda probe est observandum, hocce præceptum non tam in specie ad quodcunque mortalium individuum, quam potius in genere ad omnes pertinere homines; adeo ut quisque, in hoc principio ad praxin applicando, non sese solum respicere, non suam tantum felicitatem, omisâ ratione aliorum, quærere debeat; sed id sibi esse agendum intelligat, ut ad promovendam felicitatem (aut perfectionem) totius generis humani conducat: idque adeo absolute sibi esse injunctum putet, ut pensi habere non debeat, si actionis suæ consequentiæ aliquando sibi soli, aut privatim videantur noxiæ, (id quod tamen apparenter solum, non autem revera esse queant, nulla nimirum inter honestum & utile existente vera pugna). Tale

esse Eudæmonistarum principium, atque ita, ut jam dictum est, intelligi debere, indubium putamus. b)

§. III.

Negandum quidem non est, princeps illud præceptum: "*Cura ut sis felix*" s. "*stude felicitati*," a non paucis strictius justo esse sumtum; idque duplici modo. Primum enim multi crediderunt, quodcumque mortalium individuum quasi primariam esse personam, ad quam illa lex pertineret, h. e. homini cuique incumbere, ut primario sibi ipsi, aliis vero secundo consulat, atque hoc, ut sibi inde melius fiat. Quæ tamen res longe aliter, ac ita se habet, ut laudatum præceptum toti humanitati, tanquam uni personæ morali consideratæ, datum putari debeat. Deinde nimis strictam, nempe vulgarem illam, vocabulo felicitatis multi notionem adjunxerunt, eo res quas-cunque ab hominibus bonas æstimatas, sensuales maxime delectationes, indigitantes.

Celeberrimum *Kant* tali sensu strictiori sententiam Eudæmonistarum, inprimisque vocem *felicitatis* sum-

---

b) Cfr. *Läsring i blandade ämnen*, N:is 2 & 3 p. 117 seqq.



sumfisse, nos haud primi observamus. c) Cum enim in potentia, divitiis, gloria, sanitate, verbo, in hac vita fruenda, felicitatem ponit d); facile est intellectu, eum laudato vocabulo, sensualia tantum atque incerta bona & non nisi temporalem indigitasse oblectationem. Unde (prout nobis quidem videtur) sequitur, disputationem Criticam contra principium morum Eudæmonisticum directam, ad principium hoc ipsum rite sumtum, non pertinere.

#### §. IV.

Ad principium officiorum a Cel. Kant exhibitum (aut imperativum, categoricum, ut loquitur) quod attinet; id ita sonat: *Stude harmonice actionum tuarum*

A 3

*cum*

c) Cit. l. c. pag. 118.

d) Verba Ejus sunt: "Macht, Reichthum, Ehre, selbst Gesundheit und das ganze wohlbefinden und zufriedenheit mit seinem zustande, *unter dem Namen der Glückseligkeit*, machen muth" &c. *Grundlegung zur Metaphysik der Sitten* (Edit. Rigensis 1792) p. 1, 2. Porro: "Wäre nun an einem Wesen, das Vernunft und einen Willen hat, seine *Erhaltung*, sein *Woblergeben*, mit einem Worte seine *Glückseligkeit* der eigentliche zweck der Natur, so hätte sie ihre *Veranstellung* dazu sehr schlecht getroffen, sich die Vernunft des Geschöpfs zur

*cum lege, quam omnibus ratione præditis absolute observandam ipse statuis. e) Cui sunt subordinata, i:o Imperativum illud practicum: Age ita, ut genus humanum & in tua persona & in persona cujuscunque alius semper, simul ut finem, nūquam vero ut solum medium adhibeas f); atque illud principium voluntatis practicum:*

"Ausrichterinn diefer ihrer Absicht zu ersehen." L. c. p. 4. Confer l. c. pagg. 5, 6 & 46.

e) "Handle nur nach derjenigen Maxime, durch die du zugleich wollen kannst, daß sie ein allgemeines Gesetz werde."

Aut: "Handle so als ob die Maxime deiner Handlung durch deinen Willen zum allgemeinen Naturgesetze werden sollte." L. c. p. 52.

In hoc imperativo categorico id, quod jam præter necessitatem ad plura etiam entia quam homines pertineat, reprehendere quidam solent; quid nobis sit rei cum legibus aliorum entium? quærentes. Quæ tamen res nobis quidem pulchra & legis Moralis dignitatem magnopere augens, videtur.

f) "Handle so, daß du die Menschheit, so wohl in deiner person, als in person eines jeden andern, jeder zeit zugleich als zweck, niemals bloß als Mittel brauchest." L. c. pag. 66.

*cum: Voluntas entis cujusque ratione præditi, est ut voluntas uniuersaliter legislativa consideranda. g)*

Quum hæc imperativa etiam comitentur argumentationes de omni, in actionibus dijudicandis, cogitatione earundem utilitatis, aut finis, vel ullius, qui dari possit empirici actionum effectus, removenda *h)*; primo quidem intuitu jam apertum est, *Kantium* ab ea parte rem *Moralem* proposuisse, qua mortalium sit in libere agendo solam rectitudinem s. honestatem actionis, nullo autem modo ejus utilitatem aut ullum ejus effectum sibi repræsentare.

Principio autem felicitatis suffulti, in id nituntur, ut libere agenti non solum idea honesti, tanquam norma, sive agendi principium ex quo fluat actio, verum etiam actionis utilitas (ad uniuersam scil. humanitatem, magis quam privatim ad agentem inde redundans) tanquam finis quærenda, repræsentetur.

§. V.

*g)* "Die Idee des Willens jedes vernünftigen Wesens als "eines allgemein gesetz gebenden Willens;" L. c. p. 70.

*h)* Cfr. L. c. p. 13; 59 - - 61.

§. V.

Huc pertinet quæstio: in quo consistat illud ju-  
stum, ea actionis rectitudo ("Die allgemeine einer  
"Naturordnung ähnliche Gesetzmäßigkeit der Hand-  
"lungen." Cfr. *Metaph. der Sitten* p. 71.) quæ secun-  
dum *Kantii* sententiam, constituat illud honestum? Ad  
quam quidem responderi solet: *Id esse justum, quod  
omnibus in omni casu agendum esse uniuscujusque hominis  
ratio judicat.* Atqui honestum ita descriptum difficil-  
lime inveniri posse, quidam observant; præsupponit  
enim hæc descriptio, aut uno eodemque sensu mora-  
li omnes homines moveri, aut eos omnes unum idem-  
que honestum (s. justum) semper judicare; quod ta-  
men utrumque experientia haud confirmare videtur.

Deinde si quid honestum judicare volumus, ar-  
gumento ex principio quodam rationis ducto id fiat,  
necesse est: verum ex allata justii descriptione de ta-  
li argumento rationis, quod probet, cur hæc vel illa  
actio sit honesta, nobis nondum liquet. -- Ideo -- for-  
tasse (per circulum) respondeat aliquis, -- quod etiam  
omnibus aliis est agenda. Cur autem hoc? iterum  
quærere licet. Adeoque laudata honesti descriptio  
neque naturam rei plene explicare, neque revera do-  
cere videtur, quid nobis agendum sit.

Quod

Quod si vero ulterius maximi momenti hanc quæstionem perpendamus; simpliciter quidem & populariter rem considerando, in genere dici potest, id mortalibus esse agendum, quod ad finem tendit iis creandis a Summo Numine intentum: id quod, ut axioma, extra omne dubium positum existimamus. Rejjicitur hinc hie locus, de charactere honesti sive de principio obligationis inveniendò, ad quæstionem de fine creationis extricandam. Hic autem finis ex maxime probabilibus investigatus rationibus non videtur esse nisi, ut magis magisque perfecta (perfectissima ac fieri unquam possit) & quod ad intentionem & quod ad extensionem, reddatur totius generis humani felicitas; verbo: ut omnibus in genere hominibus quam maxime bene sit aut fiat. *i*) Qui enim primo Naturam, cum humanam tum aliarum rerum creaturarum, & deinde harmoniam inter innatum homini felicitatis studium atque multimodas oblectationes, quarum animus humanus est capax, rite considera-

B

dera-

*i*) Felicitatem hominum esse finem Creationis (der Natur-Zweck) etiam Celeberr. *Kant* ipse, in quantum scilicet sua huic termino adnexa notio id permittat, concedere videtur. Cfr. *Grundlegung zur Metaph. der Sitten*, pag. 69. Editio supra indicata.

deraverit; facile ut opinamur, de hac re persuadebitur. Quo rudiores adhuc mortales sunt, eo minus hoc ipsum studium ultra privata commoda procuranda sese extendit. Insuper vero compertum est, omnes, ad quo altiorem gradum rationis cultura adducta sit, eo quoque magis universale studium de mortalium felicitate, sepositis privatis commodis promovenda, pulcherrimum existimare, immo, vel sola quoque idea universalis hujusmodi in genus humanum amoris maximopere delectari. Unde ad verum finem creationis, si non prorsus apodictice, satis tamen cuique cordato probabiliter, concluditur.

Contra quam argumentationem ea quidem solet instantia adferri, quod mortales, quo exultiores evaserint, eo minus hac vita delectantur. *k)* Id quod tamen putamus non omnino debere concedi; quamquam fortasse animus excultus plerasque hujus vitæ voluptates eo respectu minoris æstimet, quod naturam humanam altiorum adhuc majorumque, quam possit hic præsens status offerre, reperiat gaudiorum capacem. Quæ experientia ulterius docet, sperandum esse, mortales ad fruendum vera felicitate, si non

---

*k)* Ita *Kant* 1, c. p. 5.

non jam satis in hoc præfenti, olim tamen in futuro quodam ftatu, eſſe a Deo O. M. deſtinatos.

### §. VI.

Quoniam igitur hominis eſt, convenienter deſtinationi ſuæ agere, atque hæc, ut nuper non ſine ratione collegiſſe nobis videmur, vera ſua eſt felicitas; ſequitur, firmo ſtare talo veterem illam ſententiam, qua verum bonum ab honeſto non differre ſtatuitur. Quæ cum ita ſint, conſentire quoque in unum videntur Philoſophi Critici honeſtum, & Eudæmoniſtæ bonum, ſequendum eſſe præcipientes.

Quamvis vero hoc nomine inter eos conveniat; alio tamen reſpectu magnopere diſſentiunt. Sic hi propius & directius indicant, vel ſaltim indicare conantur, quid mortalibus ſit agendum: illi autem potius in id niti videntur, ut quomodo ſit agendum, oſtendant. Hi principium morum etiam *a poſteriori* quæ-  
runt; illi contra *a priori* tantum illud indagare conantur, idque tale, ut absolute & ſine omnibus rationibus impulſivis (ut dicitur) imperet; in quo igitur ſequendo officium conſiſtat. In qua re indaganda verſatus Cel. Kant, inprimis neceſſarium exiſtimat, "ut reali-  
tas hujus principii nullo modo a ſpeciali humanæ

"naturæ proprietate deducatur; nam officium pra-  
 "ctice absoluta actionis esse debet necessitas; ad-  
 "eoque omnibus ratione præditis entibus valida ha-  
 "beat, atque ideo solum omni etiam humanæ vo-  
 "luntati esse lex debeat, necesse est." l)

Insuper in eo diversam omnino Philosophi Criti-  
 ci fovent sententiam, quod (uti jam supra inuimus)  
 omnia, quæ ab experientia comperimus, non solum  
 ad principium morum inveniendum aut confirman-  
 dum plane nihil valere, sed ipsi etiam puritati mo-  
 rum contrariari, contendant m), immo & omnem in  
 hac re argumentationem ex naturæ humanæ indole,  
ex

l) Ita sonant ejus verba, L. c. p. 59. "Es ist von der  
 "äussersten Wichtigkeit, sich dieses zur Warnung die-  
 "nen zu lassen, daß man es sich ja nicht in den Sinn  
 "kommen lasse, die Realität dieses Principis aus der be-  
 "sondern Eigenschaft der menschlichen Natur ableiten  
 "wollen. Den Pflicht soll practisch unbedingte Nothwen-  
 "digkeit der Handlung seyn; sie muß also für alle ver-  
 "nünftige Wesen (auf die nur überall ein Imperativ tref-  
 "fen kan) gelten, und *allein darum* auch für allen mensch-  
 "lichen Willen ein Gesetz seyn."

m) Cel. Boëtbius in *Journal för Svensk Litteratur* I Ban-  
 dets 5 Häfte, p. 288, 1799.



ex ejus inclinationibus innatis, propensionibus & sensibus desumptam plane rejiciant. n) Præterea cum actionis cujusque pretium morale neque ex intentione agentis, nec ex consequentibus sive effectu ex eadem expectato pendere autument o); sententia eorum hoc respectu satis diversam ab illa Eudæmonistarum offert speciem. Quam tamen differentiam multo visum iri minorem sperare fortasse liceret, si diligentiori, cum vera Eudæmonistica notione felicitatis, comparationi & examini sententia subjiceretur Kantiana. Cui quidem spei fovendæ majorem videmur nancisci rationem ex iis attentius consideratis, quæ de universalis benevolentiae pretio ipse disferit *Kantius p)*.

De cetero non usquequaque eandem Eudæmonistæ Criticique Philosophi etiam ipsi vocabulo *principii* tribuere videntur notionem; quod his principium morum, universalem tantum normam s. regulam agendorum significet, illis vero non hanc modo nu-

B 3 dam,

n) *Grundleg. zur Metaph. der Sitten*; Edit. citata p. 59. seqq.

o) L. c. p. 13 - - 15. Cfr. *Læsn. i blandade åmnen*, N:o 2 & 3. pag. 99. seqq.

p) In Libro suo nuper citato, p. 112.



dam, verum etiam fundamentum obligationis nec non finem, in quem tendere debeant actiones, simul complectatur.

§. VII.

In comparandis Philosophorum Criticorum Eudæmonistarumque in hac re sententiis, magni etiam est momenti, commoda & incommoda principii officiorum ab utraque parte propositi, considerare. Quod igitur ad principium felicitatis attinet, maximum profecto in eo cernitur ejus commodum, quod efficacius ad mortalium animos fit movendos, quam illud Kantianum. Nam validissimas simul continet agendorum causas impulsivas; cum innatis hominis sensibus instinctibusque magis convenit *q)*, propius quoque demonstrat Supremi Numinis infinitam in mortales bonitatem, quo facto altiores nobilioresque in illis animi grati, pietatis, amorisque in Eum sensus excitando, plura adhuc atque gravissima virtutis iis præbet motiva.

Dein-

---

*q)* Nos tamen his asferendis minime contendere, sensuum imperio esse parendum, quemque æquum rerum judicem facile perspecturum putamus.

Deinde cum universalis mortalium (quoad fieri possit) felicitas ut ultimus supremusque actionum humanarum repræsentatur scopus; non solum pius ille in patriam amor, verum & sancta illa gentes quoque adhuc barbaras excolendi studia (quibus vivide delectati viri cordatissimi pulcherrime jamjam magis magisque incumbere cœperunt) non possunt non magno opere inde promoveri, adeoque quam plurimi homines, quibus occasio & vires suppetunt, ad talia honestissima facinora procuranda, excitari.

Incommoda vero principii Eudæmonistici solent plura recenseri. Sic faciliori illud dicunt esse abusui subjectum; quod scil. ratio majoris utilitatis, non rite perspectæ aut cum privato commodo facile commutatae, sæpe possit deliberantem a vera justitiæ & honestatis via seducere. (Quod tamen, re accuratius proposita & pensitata, fortasse non admodum erit timendum). Porro hocce principium non qua tale aut principium morum, sed tantum, ut prudentiæ quandam regulam, valere dicunt, neque cum vera virtute convenire; nempe quod honestus non sit animus, qui ad officia perficienda repræsentatione præmiorum (aut boni inde redundantis) opus habet excitari. r)

Quod

---

r) Cel. *Boëthius* loco supra citato, p. 226, seqq.

Quod si vero bonum illud quærendum ponitur non privatum, sed commune (ita ut supra est indicatum); animus ad hoc adspirans inhonestus censerî minime debet.

Præterea non minimi in eo principium Eudæmonistarum arguitur incommodi, quod non posse determinari dicant s) quid ad mortales reddendos vere felices pertineat, aut quid non; his scilicet in tam diversas de bono abeuntibus opiniones. t) Ubi quidem in genere observare licet, omnes sanos in eo saltem consentire, quod, *injuriam aliis inferre*, felicitati mortalium plane repugnet, ac contra, mutuus eorum universalisque in se invicem amor vel saltem benevolentia, eidem maxime conveniat, ejusque fit quasi fons. Deinde absolute quidem utile omnes sani id æstimant, ut vera cognitione & scientia rerum ingenium cujusque hominis quam diligentissime excolatur augeaturque.

Un-

---

s) Cfr. Lib. *Kantii* citat. pagg. 46 & 47.

t) Adhibemus vocabulum *bonum*, denotans id, quod veram parit delectationem: unde facile est intellectu, in quo consistat illud *bene esse*, in quo, ita omnibus mortalibus procurando, ut nulli aliquid inde detrahatur, tota res versatur moralis,

Unde non sine ratione concluditur, non adeo indeterminatum esse, quid ad felicitatem nostram conferat: quamquam fatendum sit, nos necdum satis multa de vera, in omnibus rebus, felicitate, scire: quam quidem imperfectionem crescens animi humani cultura magis magisque minuet. De cetero ut principium morum in quocunque speciali obvenienti casu recte adhibeatur & ad vitam communem applicetur, id ex ingenio & prudentia cujusque agentis pendet. In quo fortassis non in multo minore errandi periculo versentur principium felicitatis sequentes, quam qui illi Criticorum potius assentiantur. Id quod ab omnibus mortalium consiliis & conatibus est inseparabile.

§. VIII.

Inter commoda principii Kantiani referunt, quod magis sit determinatum, quam illud Eudæmonisticum, nec æque ac hoc abusui pateat *u)*; atque quod propius etiam jura hominum respiciat æqualia. Quoniam vero ejus ratio non satis videtur in promptu; sed

C

argu-

---

*u)* De qua tamen non omnis videtur excludi posse locus dubitandi; id quod Auctor Libri Satyrici: *Leben und Meinungen des Sempronius Gundiberts eines Deutschen Philosophen* inscripti, ingeniose ostendit.

argumentis nititur adeo abstractis & *puris*, ut ægre etiam ab Eruditis Philosophis (& consequenter multo minus a vulgo) perspici queant; hinc concluditur, illud minori etiam gaudere efficacia ac vi ad mortales (saltim vulgum, qualis hodie existit & probabiliter diu adhuc manebit) movendum. Præterea eo hocce principium laborare quidam contendunt, incommodo, quod officia humanitatis (aut imperfecta sic dicta) ægre inde possint deduci. v)

Alio autem respectu non videtur dignitati rationis humanæ satis convenire res moralis, ad Philosophorum Criticorum proponendi modum, spectata: cum enim intentionem sive consilium agentis aut effectus seu consequentias actionum ab eo intentas, nihil, ad pretium morale his tribuendum, valere contendunt; eo ipso (ut videtur) aut præcipiunt, homini esse sine intentione, sive causa finali agendum, aut saltem non aliam illi permittunt intentionem, quam ut actiones suas Imperativo categorico convenienter componat; id quod fortasse eodem recidit. Hoc autem agere sine consilio & fine, adeo repugnat ipsi naturæ entis ratione præditi, ut homo hac recte utens, nullam possit sine fine actionem suscipere. Deinde quo

---

v) Cfr. *Lâsn, i bl, ånne*, N:o 2 & 3, p. 108.

quo plures fines valeat agens intendere, & quo plures majoresque bonos effectus, quaque sua actione, possit producere; eo quoque sublimiorem sapientiæ gradum, eo perfectiorem dignioremque rationis suæ eum attigisse constat usum. Cui igitur hominis dignitati, ille a *Criticis* rei morali adcommo-  
 datus habitus, hoc respectu, non videtur favere.

§. IX.

Quamquam vero, cum tantis Philosophis luctari non audentes, judicium nostrum de his rebus adhuc differre satius ducimus; id tamen fatemur, nos cum Eudæmonistis, communem quærentibus mortali-  
 um felicitatem atque imprimis culturæ rationis humanæ (ut huic rei maxime inservienti) studentibus, libenter velle communem facere causam. Nec possumus nobis persuadere, animum ad talia adspirantem, aut falsum actionum elegisse scopum, aut inhonestum. Et quemadmodum perfectior est miles, ducisque imperatis libentius obediens, qui bonum prudentemque horum perspicit finem, rationemque cur hi vel illi motus militares, hæc vel illa res gerenda, suscipiantur; ita & perfectiorem æstimamus hominis virtutem, qui non cæca tantum ducitur legis obedientia, sed & rationes, cur, & finem ob quem, hujus  
 præ-

præscriptis morem gerat, perspiciens, plures fortioresque videt causas moventes, majoremque etiam cogitatis suis exercendis patere sibi videt ambitum. In quo si opinio nos fefellit; nos tamen nisi ægre ab errore adeo amabili nos abduci optamus. Nec fortasse (si quid valeat sensus *Moralis*) unquam egregia defutura sunt ingenia, eundem errorem nobiscum erantia.

Quod si de cetero periculum errandi obvenit in ipsa praxi, ex imperfecta nostra adhuc, de vera felicitate, cognitione timendum; non videtur a perfectiori virtute alienum, ut Kantianum illud imperativum categoricum (quod saltem de officiis perfectis, ut vocantur, valet) prout principium justitiæ, proprie sic dictæ, practicum atque primo illo, communem felicitatem urgenti, subordinatum, adhibeatur.

